

2

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE

# ÆTERNA DEI PRÆ- DESTINATIONE;

Quam,

*Divinâ fave[n]te gratiâ,*

PRÆSIDÈ

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO,  
DN. MATHIA MARTINIO, PROFESSORE OR-  
dinario in illustri Nassovicâ scholâ Herbornensi, præ-  
ceptore suo summâ observantiâ colendo,  
publicè examinandam proponit

Ad diem 16. Augu[sti], loco horisq[ue] consuetis,

FELIX HOFFMEISTER, TIGURINUS  
Helvetius.



HERBORNE NASSOVIORVM  
Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1606.

REVERENDIS, DO-  
CTISSIMIS, CLARISSI-  
MIS Q. VIRIS,

DN. MARCO BEUMLERO, SS. Theologiae Pro-  
fessori, & pro tempore in Inlyta schola Tigurina  
Scholarchæ.

DN. HEINRICO LAVATERO, Medicinæ Doct. Phy-  
sicesq; professori ordinario.

DN. RODOLPHO SIMLERO, Medicinæ D. Logicesq;  
Professori.

DN. M. JOHANNI-JACOBO HALLERO, Ecclesiæ Ti-  
gurinæ ministro dignissimo.

DN. CASPARO WASERO, sanctæ linguæ Professori,  
& verbi divini ministro fidelissimo.

DN. M. JOHANNI-JACOBO HULDRCICO, Ecclesiæ  
Tigurinæ ministro vigilantissimo, affini.

Dominis Patronis, Mæcenatibus, preceptoribus  
suis observantia & pietate perpetuâ co-  
lendis, hasce Theses Theologicas inscribit  
& offert respondens & author.

T H E S I S I.

**D**E prædestinatione non temere quidvis ad hominis arbitrium disputandum, sed cum timore & tremore de ea sobrie & prudenter ex S. Scriptura agendum esse asserimus, juxta regulam D. Ambrosii: Quæ Deus occulta esse volunt, non sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne & in illis illicite curiosi, & in illis damnabiliter inveniamur ingredi, lib. i. de voc. gent. c. 7.

2. Id quod etiam diligenter monet, qui hac super doctrinam à calumniatoribus odiosè traducitur, D. Calvinus in Inst. lib. 3. cap. 12. se ct. 1. hisce verbis: Disputationem de prædestinatione, quum per se sit aliquantum impedita, valde perplexam, atque adeò periculosam reddit hominum curiositas, quæ nullis repugnulis cohiberi potest, quin in vetitas ambages evagetur, & in sublime se proripiatur: nihil, si liceat, arcani, quod non scrutetur atq; evolvat, Deo relictura. In hanc audaciam & improbitatem quum multos videamus passim ruere, & in iis quosdam alioquin non malos: opportunè admonendi sunt, quis sit in hac parte officii sui modus. Meminerint ergo, in prædestinationem dum inquirunt, scilicet divinæ sapientiæ adyta penetrare, quod si quis securè ac confidenter prorumpat, nec quo suam curiositatem satiet, assequetur, & labyrinthum ingredietur, cuius nullum reperiet exitum.

3. Ut autem in hoc scholasticarum thesium exercitio ordine progressiamur, ante omnia probandum est, esse prædestinationem, quia non defunt, qui esse eam negent. Agemus autem de prædestinatione respectu hominum. Latè alioquin loquendo etiam Angelorum quidam sunt electi, qui jam in gratia confirmati, quidam autem reprobati, qui jam sine spe veniæ sunt rejecti, posteaquam semel à Deo defecerunt. Illud autem sequenti thesi abundè satisq; probabitur.

4. Natura ipsa si intendant vires suas, docere potest, quod à Deo omnia sapienter ordinentur & regantur ad optimos fines, quodq; hominum creationem non in incertum, sed certum finem Deus destinaverit. Sed sine scriptura hic, ubi ad specialia devenitur, ratio nō modò cœca, sed & blasphema est. Scripturæ ex innumeris effata notemus

ista: Deus apud Mosen ait Exod. 33. 19. Miserebor cujuscunq; misertus fuero. Apud Malachiam 1. 3. Jacobum dilexi, Esavum autem odio habui. Et Servator ait: Scio quos elegerim, Joh. 13. 18. Vide in primis etiam orationem Domini, Johan. 17. Item 2. Pet. 1. cap. 10. Acto. 13. 48. Rom. 9. 11. Johan. 2. 40. 2. ad Tim. 2. 25. Qui hæc nondum capit, oculos referat ad ultimum judicium. Quod ibi in exsequitione discrimen inter homines Deus statuet, id non est dubitandum, quin ab æterno decreverit. Qui Dei omniscienciam, omnipotentiam, & liberissimam voluntatem recte & piè agnoscit, ei hæc doctrina plana evadet.

5. Expedita quæstione, quòd sit prædestinatione: videamus jam etiam quid sit, & quotuplex.

6. Est autem prædestinatione æternum, immutabile ac sapientissimum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque hominum fieri vellet, quod ad æternam illorum salutem, vel exitium attinet; Vel est æternum Dei propositum, quo secundum beneplacitum voluntatis suæ, ante jacta mundi fundamenta, hominum alios quidem ex gratuito amore ad salutem, alios vero ex justo odio ad exitium sempiternum destinando, seipsum glorificare constituit.

7. Voce autem prædestinationis latius accepta tres gradus simul intelligere solent: Decretum scilicet æternum quod est in Deo; dispositionem, seu determinationem in tempore; actotum progressum mediorum, quo Deus suos deducit ad finem. Nos hic de decreto agimus.

8. Prædestinationis autem (ut ex descriptione patere potest) duas ponimus species, Electionem, & Reprobationem.

9. Electio autem est quorundam hominum in Christo ad vitam æternam deputatio, quâ Deus volens manifestam facere gloriam suæ gratiæ, ex sola d'bonia & de laudib' gratiar' bonitate, & misericordia, constituit ex toto genere humano, peccato & morti obnoxio, certos aliquos homines gratis in Christo adoptare, efficaciter vocare, & justificare, ut in ipso sint participes cœlestis hæreditatis & vitæ æternæ.

10. Deus est electionis causa solitaria. Nulla hic ministra, quia actione prædestinationis ab æterno est, intercurrit. Nulla & cetera loquuntur habet.

11. Causa vero & impellens, seu interna impellens, est sola d'bonia & de laudib' gratiar' & & hinc in specie mera ipsius, & libera, & indebita charitas, Eph. 1. 45. Elegit nos antequam jaceretur fundamenta mundi, secundum

cūndūm beneplacitum voluntatis suæ. Gratuitam dilectionem illam vel ut admirans Servator ait Joh. 3.16. Sic Deus dilexit mundum, ut daret unigenitum filium suum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternā. Hic est sola Dei gratia, misericordia, & amor, ut ad Timoth. epist. 2. cap. 1. v. 19. Vocavit nos vocatione sancta &c.

12. Quod autem quidam ascrunt electionem, vel ex prævisa fide, vel ex sanctitate, dignitate, bonisq; operibus pendere, ex S. literis probari neutiquam potest, immo contrarium inde liquet. Nec etiam ideo sumus electi, quia Christus Mediator erat futurus, sed, quia Deus pater quosdam elegit, præordinavit etiam eis redimendis mediatorem. Ita in ipso sumus electi, ut per ipsum à peccatis liberaremur, & conservaremur.

13. Electio planè gratuita est, & in unica misericordia Dei gratia certa est & firma salus nostra, juxta illud: Nō est volentis, neque currentis, sed misericordia Dei, ad Rom. 9.16. Ad Titum 3.v.5. Paulus ait: Vocavit nos vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed juxta propositum suum. Sed sine fide Deo nemo placere potest? Resp. Sine fide non placuimus Deo, quasi essemus boni: placuimus tamen ei sine fide, ut fieremus boni. nam donatus est nobis filius, & data est nobis fides antequam crederemus. Et hæc donatio est dilectionis argumentum. Mater impurum filium amat, non quasi purus sit, sed ut purget. Diligendi causa est duplex: vel quod sit aliquis bonus, vel ut sit, vel fiat bonus.

14. Repugnat isti dogmati regula à veritate divina tradita: Quicquid est causa causæ, est etiam causa causati. Si igitur prævisa fides, & opera bona essent causa electionis, essent etiam causa vocationis, quæ est electionis effectum. Ita effectum erit ante causam, & erit simul etiam post causam: & idem erit, & non erit, quod impossibile est, propter veritatem Dei. Et dato contrario, omnis à Deo sapientissime constitutus ordo everteretur.

15. Reclamat etiam locus ille celebris ad Rom. 9.11. Quum nondum nati essent, inquit Apostolus, gemini, Esavus & Jacobus, nec quicquam boni aut mali fecissent, ut secundum electionem propositum Dei firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Major serviet minori. Item locus ad Eph. 1. 6. His tam certis, tamq; firmis testimoniis contradicere, perinde est, ac si quis solem è mundo tolere velit.

16. Hactenus egimus de prima Prædestinationis specie: sequitur altera, quæ est Reprobatio.

17. Est autem Reprobatio quorundam hominum ex insita severitate, ad mortem æternam deputatio. Ut enim Deus statuit certorum hominū misericordiæ, & ex peccato, in quod lapsuros prævidit, eos liberare: ita ei placuit etiam certos quosdam præterire, nec eorum ad salutem misericordiæ, sed in peccato eos relinquare.

18. Deus est etiam reprobationis causa solitaria, siquidem æterna illa actio est æquæ, atq; electio. Causa *ægryphæm* seu interna, quæ Deum movit, est etiam *affectione* Dei, & in specie odium Dei liberum, & justum seu severitas illius.

19. Contra hanc doctrinam multas & varias rationes commenti sunt adversarii, è quibus nos præcipuas breviter tantum attingemus. Objiciunt I. Deus totum genus humanum condidit ad salutem. Ergo. Antecedens probatur, quia hominem creavit ad imaginem suā. Resp. Antecedentis falsitas convincitur ex dicto Apostoli ad Rom. 9.21. In probatione autē fallacia est homonymia. Nam præpositio A D ibi nō notat finem, sed formam, & usurpatur pro præpositione *secundum*, x<sup>r</sup>; nam Genes. 1.26. habetur: Dixit Deus, Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram, id est, similem nobis, scilicet in sanctitate, sapientia atq; justitia, sicut Apostolus declarat ad Col. 3.10. Eph. 4.24.

20. Secundò objiciunt locum Ezech. 18. cap. v.33. Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, item v.21. Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Jehova, & cap. 33.11. Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut resipiscat, & vivat. Resp. Per vocabulū mortis in istis dictis non intelligitur mors æterna, de qua nunc controvertitur, sed intelligitur mors corporis, eaque violenta, qualis infertur Apostatis. Hoc patet ex illius sermonis scopo, qui est refutare querelam Israëlitarum, qua querebantur, se penas dare patriorum scelerum, dicentes: Patres nostri comedérunt, & c. v.2. Loquebantur autē ii de penis corporalibus, puta quod infestabantur ab hostibus, & ab iis occidebantur. Quod ipsum etiam liquet ex textu, puta v.13. ubi de impio Israëlite quoque dicitur, Omnino afficiet morte, cædis ipsius causa in ipso erit, item ex v.27. ubi de pio Israëlite dicitur, Hic animam suam vivam conservat, id est, se ipsum, per Hebraismum. Sed si maximè ista dicta de morte

morte æterna loquerentur, tamen inde non posset inferri, Deum nolle  
cujusquam hominis mortem æternam, cùm hoc tantùm dicere velit  
ibi Deus, se non delectari morte impii, si is fuerit conversus, sed potius  
delectari ejus conversione, ac proinde etiam vita.

21. Tertiò objiciunt: Si Deus aliquem creasset ad interitum, male  
illi vellet. At nemini male vult. Ergo. Aff. probatur Matth. 7.11. Luc.  
11.13. Si vos qui mali estis, &c. Item Esaiæ 49.15. Resp. Assumptionē esse  
falsam, quia Deus male vult omnibus reprobis, quantum quidem ad  
ipsorum statum æternum attinet, quippe quos odit, ad Rom. 9.13. Pro-  
batio verò nullam vim habet, quia loquitur de solis credentibus, ac  
proinde de solis electis: neutiquam igitur de universis.

22. Quartò objiciunt: Si Deus quemquam ad interitum creasset,  
causa peccati esset. Non hoc, ergo nec illud. Resp. Nego connexum.  
Sed probatur ita: Quicunq; vult finem, vult etiam destinata. At Deus  
vult finem, interitum scilicet. Resp. Hic non concluditur quæstio.  
Nam aliud est, quod Deus peccatum velit permittere: aliud vero, quod  
ipse sit causa, & auctor peccati.

23. Quintò dicunt: Si Deus non voluit omnes homines salvos  
fieri, Apostoli falso, & vafro Evangelii prædicationis usi essent princi-  
prio. Ratio est, quia Paulus in Actis 17.30.v. tale ponat principium, un-  
de suam à pœnitentia exhortationem exorditur, nempe: Deus jubet  
omnes homines in omni loco pœnitentiam agere. At falsum poste-  
rius. Ergo & prius. Resp. Falsum est connexum: nec probatur ex ratio-  
ne allata. 1. quia etsi Deus tempore Pauli jussit omnes homines in o-  
mni loco pœnitentiam agere: tamen id non jussit ante tempora illa,  
quia tunc sivit omnes gentes ire vias suas, Actor. 14. Deinde ne tum  
quidem jussit omnes, sed tantùm omnes eos, quibus contingebat E-  
vangeli prædicatio. 3. etiam si Deus jussisset omnes illos pœnitentiam  
agere, (omnes enim humilem Deo debent obedientiam ut creatori)  
tamen non voluit eam singulis dare, quia Deus nemini est obstrictus.  
Satanæ non dat resipiscientiam, nec dat filiis ejus. Quis cum illo expo-  
stulet? Nam, si voluisset, dedisset utiq; cùm sit omnipotens. At non de-  
dit, ut S. historia testatur. Plurimi enim prædicationi Apostolorum  
contradixerunt, ut in Actis videre est.

24. Sextò ajunt quidam: Si vera est doctrina prædestinationis,  
potest reprobis dicere: Nihil juvō, si sim pius, quia ad mortem  
sum deputatus. vivam igitur pro arbitrio: electus autem; Nihil ob-  
stat mihi impietas, quia sum electus. Ita hæc doctrina est causa in-  
quinatæ vitæ. Refp. 1. Quos elegit Deus, eos etiam vocat, hoc est,  
fide & studio pietatis suo tempore donat. Reprobos autem Deus  
non ita vocat. 2. Qui intelligit rectè, & estimat Dei erga se bene-  
ficia gratuita, non potest non redamare Deum, & ei se consecrare.  
3. Christi capitis indolem membra Christi, id est, electi, imitantur.  
Sciebat Christus se electum esse, ut & salutem mereretur nobis, & ali-  
ter fieri non posse, quin ipse ad vitæ æternæ summum gradum per-  
veniret, itāne verò unquam ei in mentem venit, rectâ fide electionis  
sui abuti? Ita & electi sequuntur vestigia illius, & quo certiores  
sunt de electione sui, eo sanctius vivunt. Fidei ardorem sequitur  
fervor pietatis. 4. Apostolus Paulus sciebat se verè electum esse:  
An ideo impius erat? 5. Qui ita cogitant nefaria, ostendunt se ex  
filiis Dei, Deum sincerè amantibus, nondum esse. 6. Etsi electi pro-  
pter peccata sua non rejiciantur, quia illis datur resipiscientia: tamen si  
graviter hīc delinquent, etiam graviter hīc punientur, ut patet exem-  
pli Davidis. 7. Si quis reprobum se esse sciret, & in omnem nequitiam  
diffluere vellet, annon esset cur cogitaret, hac in vita à Magistratu vel  
etiam aliis, quos Deus excitare potest in ipsos impios proceres, ut Ehu-  
dem in Eglonem, in sceleratos animadverti? Qui vult suspendi, in cru-  
ce suffigi, candēntibus forcipibus laniari, discripi equis in diversa tra-  
hentibus, submergi, caput suum securib. abscondi, in rota crura sibi dif-  
fringi, flammis exuri, ita argumentetur, & ita vitam suam instituat. Eti-  
am si igitur quis certò sciret, se reprobatum esse, impetum tamen pec-  
candi omnibus modis frenare deberet, ut damnationem suam alleva-  
ret, non autem aggravaret. 8. Si quis certus esset, se reprobum esse,  
an non esset, cur cogitaret: Sunt in inferis pœnarum gradus, secun-  
dum peccatorum gravitatem. Qui vult omnium durissimos susti-  
nere cruciatus, duriores quàm Cainus, atrociores quàm Judas,  
qui decuplo, vel millecuplo vult esse inferior damnato infante,  
qui actionum peccatis se nondum maculavit: qui in mediis infe-  
ris in ardentissimis flammis locum habere mayult, quàm experiri  
mites

mites pœnas, ille ita argumentetur, & ita nequiter vitam instituat suam.  
9. Nemo nostrum dubitat, quin Deus certum cuiusq; vitæ terminum statuerit: an ideo negligemus vivendi media, & in pericula nos præcipites dabimus? an quia ante terminum à Deo fixum, non moriemur, è turri nos præcipitabimus? & tentabimus in aquis ut terræ solo ambulare pendibus? 10. Qui in album relatus est miles, ideo se scit inscriptum esse, ut servet antesignano fidem: ita nos quoq; in libro vitæ inscriptos esse novimus, ut simus sancti, & inculpati coram Deo in veritate, Eph. 1.

25. Septimè. At possunt quidam deleri è libro vitæ, Psal. 69.29. Respondeat pro nobis Augustinus in illū locū. Aliquando enim illic scripti erant errantes fratres, non sic accipere debemus, quod quemquam Deus scribat in librum vitæ, & postea delectat eum. Si homo dixit, Quod scripti, scripti, de titulo, ubi scriptum erat Rex Judæorum, Deus quemquam scribit & delect? Quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictū est secundū spem ipsorum, qui se ibi scriptos putabant. Quid est, delectantur è libro vitæ? ut ipsis constet, non esse illos ibi.

26. Ex his objectionibus ferè aliæ astimari possunt. Nos memorē naturæ thesium, quæ brevitatem requirunt, missis hoc tempore aliis, teneamus illud; Deus non irridetur: & expendamus Dei majestatem & nostram vilitatem, & fructum hujus doctrinæ subnotemus.

27. Fructus autem hujus doctrinæ præcipui sunt 1. ut humili cum adoratione agnoscamus, quād simus obstricti Deo, qui nos indignos è turba perditionis eligere, & ad gloriam cælestem instaurare dignatus est. 2. ut solida fiducia in consilium Dei immutabile de salute nostra recumbamus, ac proinde de illa plenè persuasi certiq; simus. 3. ut qui nos in album Dei relatos esse scimus, etiam militemus bonā illam militiam, retinentes fidem, & bonam conscientiam. Ideo enim sumus vocati, ut simus sancti & inculpati coram ipso in charitate. 4. ut in Dei viis ambulantes, adversus tentationes & omnia ignita tela Satanæ stauamus, nullam rem creatam posse nos separare à charitate Dei, Rom. 8.38. Item ut nos consolemur adversus omnem afflictionem: quia omnia, tam adversa, quād prospera, conferunt ad bonum iis qui.

Deum diligunt, & ex proposito ejus vocati sunt,

Rom. 2. 8. 28.

## COROLLARIUM.

Quæritur, an Adamus & Eva lapsi exciderint penitus gratiâ Dei?  
Resp. Gratia electionis non exciderunt: sed ~~χρεία για την~~ creationis, sanitatem intellectus, sanctitatem voluntatis, & beatitudinem, in quibus propriè consistit imago Dei, amiserunt. Si in tali statu persistissent, damnati utiq; fuissent. Quia autem ex electis fuerunt; rupto fædere naturæ, vocati sunt sub fædus gratiæ, & ibi deum Christi notitia, & fide in ipsum hæst. a nuncquā deinceps totaliter, & finaliter, ut loqui solent scholæ, exciderunt. Hoc lapsu doctrina de perseverantia sanctorum nō tangitur, nedium evertitur. Nam illa perseverantia de iis solis intelligitur, qui efficaciter sunt vocati, ex fundamento fæderis gratiæ, ad fidem in Christum. Adamus ante lapsum nullam Christi Mediatoris notitiam habuit: quia, si humanum genus non esset lapsum, mediatore non fuisset opus. Ergo nec fidem in ipsum potuit amittere. Adamus lapsus talis fuit, quales & nos fuimus ante perceptam de Christo doctrinam, & fidem in ipsum. Adamus non amisit Spiritum sanctum, hoc est, fidem in Christum, & à fide tali pendentem sanctitatem, quia talem per creationem non acceperebat. Amisit autem dona, quibus statum innocentiae Deus ornaverat, velut sapientiam salutarem, sanctitatem & beatitudinem. Inconsideratè igitur admodum agunt, qui hoc contra doctrinam certam de perseverantia sanctorum objiciunt: & status hominis confundunt; statum nempe innocentie & gratiæ. Ex illo hominem penitus excidisse constat: in hoc electi reparantur, & spiritu regenerationis donantur, qui nunquam deinceps ab illis, posteaquam semel efficaciter fuerunt vocati, penitus recidit; et si hoc verum sit, fidei & spei ac charitatis actus interdū obscurari & sopiri, ut minus exserantur servide. Summa, Adamus & Eva, nosq; adeo omnes naturales eorum posteri excidimus gratiâ Dei ut creatoris, violato fædere naturæ: gratiâ Dei ut redemptoris non excidimus unquam, secundum illud: Oves meas nemo rapiet ex manu mea: item: Quos vocavit, etiam justificavit: quos justificavit, etiam glorificavit.

## PIGRAM-

EPIGRAMMA AD DN. FELICEM HOFF-


MEISTERUM TIGURINUM, SS. THEOLO-  
giae studiosum.

**F**elix es FELIX, qui cognitione sacrae  
Doctrina imbutus Jova mysteria queris,  
Non ulli explorata satis, magis illa stupenda.  
Tu quid ab aeterno decreverit autor olympi  
De genere humano studiosè inquiris, & omnis  
Ut careas errore seque vestigia sanctæ  
Scripturae (summi que sunt oracula Jovæ)  
Fontis inexhausti placuit, que regula veri est.  
Cur alios reprobos, alios (mirabile dictu)  
Electos voluit Deus, aut cur non simul omnes  
Viventes sub sole frui vult munere regni  
Perpetui? Quia sic placuit, responsio vera est.  
Sed cur sic placuit? querendo assurgere noli,  
Namq; voluntatis satis est mysteria nosse,  
Caussam linque Deo, cuius sapientia summa est.  
Dic mibi, cur aliud figulus vas fingit honoris,  
Dedecorisq; aliud? flat pro ratione voluntas.  
Divina est omni major ratione voluntas.  
Unde mea potero sed certior esse salutis?  
Scilicet id fructus quos fert Electio monstrant.  
Quos Deus elegit, vocat hos in tempore, iustos  
Quos vocat ipse facit, multoq; coronat honore.  
Intra cor descendit tuum, fiducia num sit  
In Christo expende, & studium pietatis an adsit  
Explora, que si fuerint, tenuere a certa,  
Quæd sis electus, tua pectora confirmabunt.  
Ringis, ô hostis veri, prævisaq; jactas  
Aut opera, aut aliud quod sit sublimius illis,  
Nempe fidem? quasi sit nostra virtute coactus,  
Ut nos eligeret liber qui cuncta gubernat.

*Quin potius mirare Dei inscrutabile nostri  
Decretum & remove vanas è pectore curas.  
Nil sicut in nobis cælesti lumine dignum  
Quo delectari potuisse Rector olympi.  
Gratia magna Dei est quam nos agnoscere par est,  
A cuius solo manant bona cuncta favore.*

M. Henricus Gutberleth cū rē mē-  
rē faciebat.





## N. FELICEM HOFF-

IN U M, SS. THEOLO-  
osum.

cognitione sacrate  
væ mysteria queris,  
tis, magis illa stupenda.  
creverit autor olympi  
studiosè inquiris, & omni  
æ  
Jove)  
veri est.  
ctu)  
ulomnes  
gni  
vera est.  
ere noli,  
nōsse,  
a summa est.  
honoris,  
voluntas.  
ntas.  
utis?  
onstrant.  
ore, iustos  
at honore.  
n sit  
utis an ad sit  
erta,  
abunt.  
is  
us illis,  
ute coactus,  
ernat.

the scale towards document